

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Cothmann Johannes Ellisen

**Disputatio Tertia De Praedestinatione In qua ... quaedam Adversariorum contra orthodoxam de Philanthrpia Universali sententiam recensentur & ex Dei verbo refuntatur**

Rostochii: Kilius, 1637

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739709003>

Druck Freier  Zugang



Kart.: J. Ellisen

Joh. Cöthmann / a  
R. U. theol. 1637.



DISPUTATIO TERTIA  
De  
**P R A E D E -**  
**S T I N A T I O N E**

*In qua*

Ἑρμηνεία quædam Adversariorum  
contra orthodoxam de φιλανθρωπia Universali  
sententiam recensentur & ex Dei  
verbo refutantur.

*Quam*

AUXILIO DIVINO

PRÆSIDE

**JOHANNE COTHMANNO,**

S.S. Theol. Doctore & Professore ~~naddūrapiv~~  
publicè defendet

**JOHANNES Ellisen/Eimbeccensis.**

*In Auditorio Majori horis antemer-  
dianis 4. Novembr:*

ROSTOCHII,

Exendebat NICOLAVS KILIVS, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. XXXVII.

VIRIS

Reverendo admodum, Clarissimo atq; Excell.  
Dn. PAULO MULLERO,  
S.S. Theol. D. celeberrimo olim in Acad. Helm-  
stad. Prof. publ. nunc in aula Sereniss. ac Illustriss.  
Principis ac Domini, Domini GEORGI, Ducis Brunsv. & Luneb.  
Concionatori aulico primario, nec non Ecclesiarum per Provin-  
ciam Calenbergensem Superintendenti sicut Generali,  
ita vigilantissimo ac longè dignissimo.

NEC NON

Nobili atq; Praestreno,  
Dn. JOHANNI Schwarzkopff/  
Supremo Excubiarum præfecto meritissimo ac  
vigilantissimo, Patrono & Sympatriotæ suo multis nomini-  
bus singulariter suspicioendo.

UT ET

Spectatissimo, Prudentissimo ac Literatissimo  
Dn. EBER HARDO Westerumb  
Arcis Ericoburgi in Ducatu Brunsv.  
præfecto meritissimo.

Humanissimo item ac Civi apud Eimbeccenses optimo  
Dn. ANTONIO Ellisen/ Parenti  
suo plusquam filiali saq; eternum hono-  
rando & amando.

Dominū Mecenatis suis Maximis & singularibus, Pa-  
renti honoratissimo & amantissimo

Hoc Exercitium Theologicum ea qua par est humi-  
litate, observantia & amore debito devotè  
offert & consecrat

JOHANNES Ellisen.





**Onfirmata Assertione orthodoxa no-**  
stratum Ecclesiarum superioribus disputationi-  
bus, consequens est (ut contraria juxta se posita  
clarius elucentur) considerare, contradicentium  
argumenta, quibus veritatem divinam impu-  
gnant. In genere distinctiones nonnullas pro-  
ducunt, quibus probare thesin suam volunt. **Beza**  
ad Acta Colloq. Mompel. loco de prædest. p. 169. inter vocationem  
**externam & internam** discrimen facit, & ait Deum vocationem in-  
ternam, quam æternum & arcanum consilium vocat, nec Prophetis  
olim, nec Apostolis postea, nisi nonnunquam ex peculiari revelatio-  
ne, patefecisse.

2. Respondeo: vocationem aliam posse dici externam: aliam  
internam dextro sensu concedimus. At juxta explicationem **Bezae**,  
ut & **Polani** aliorumq; negamus, Deum vocationem internam ita re-  
stringere, ut non omnes quos externe persuos ministros vocat, & ad  
gratiæ participationem invitat, non simul internè (respectu divinæ  
voluntatis & seriæ intentionis) vocet, & salutem eorum unicè ex-  
petat, juxta Scripturæ loca **Esa. 65. v. 12. Prov. 1. v. 24. 25. Matth. 22. v.**  
**7. Job. 1. v. 9. & passim.**

3. Deinde & hoc inficiamur, Deum vocationem internam nec  
Prophetis olim, nec Apostolis patefecisse. Christus enim omnia  
quaæ audivit à patre (ad salutem nostram necessaria) nota fecit A-  
postolis **Job. 15. v. 15.** qui illa aliis revealare debebant **Matth. 10. v. 27.**  
Unde iidem fatentur quod omne Dei consilium suis auditoribus re-  
velaverint. **A&T. 20. v. 27.** Ut nil dicamus sententiam hanc **Bezae**, Scri-  
pturæ perfectioni repugnare, quam tamen Beza ipse non obscurè  
contra pontificios in Not. Major. N.T. ad locum. 2. **Tim. 3. v. 16.** rectè  
defendit. Non verò Bezam juvat **Jonæ** indignatio **Jon. 4. v. 2. 3.**

nihil enim aliud inde probatur, quam Prophetam hac in parte peccasse; quippe qui ex impatientia in hæc verba eruperit. Unde ipse Deus, interrogatione utens, quæ hoc loco vehem entissime negat conf. v. 9. hujus capituli Amos 5. v. 25. Mich. 6. v. 3. Jonam increpat. v. 4. Quod ipse pescator in Notis ad Prophetam Jonam non diffiteur dum ait: In Jona proponitur exemplum infirmitatis atq; imperfectionis sanctorum &c. Item: Jonas longè graviorem reprehensionem fuerat meritus.

4. Pescator modò allegatus aliud  $\pi\sigma\tau\Phi\gamma\epsilon\tau\sigma$  invenit, dicit enim ad locum illum insignem Matth. 23. v. 37. distinguendum esse inter voluntatem Christi divinam & humanam. Christum quidem dicere se Hierosolymitanos sæpenumero convertere voluisse, sed illud intelligendum esse de voluntate ejus humana, secundum quam tanquam minister circumcisionis fideliter laboravit in convertendis Judæis identidem illis prædicando paenitentiam & remissionem peccatorum. Et expressis verbis subiungit: Christum Hierosolymitanos non convertisse, quia non voluerit voluntate divina.

5. Resp. Pescator quidem satis audacter, Christum non nulla voluntate humana voluisse afferit, quæ voluntate divina noluerit, sed unde hoc suum commentum probabit? Christus ipse qui veritas est Joh. 14. v. 6. contrarium disertis verbis affirmsat Joh. 4. v. 34. ajens: mens cibus est ut faciam quod vult is qui misit me, & perficiam opus ejus. Et doctrina quam Christus proposuit, eadem fuit cum doctrina patris Joh. 7. v. 16. Unde Christus quæ audivit à patre, hæc locutus est in mundo, Joh. 8. v. 26. 38. & 14. v. 24. Et collatio locorum testatur, Christum non tantum ut hominem, sed & ut Deum, conversionem Hierosolymitanorum serio voluisse quando Luc. 11. v. 49. dicitur sapientiam Dei dixisse, quod cives Hierosolymitanos congregare voluerit: conf. ipsum Calvin. in Harmonia Evang. p. 291. Et Luc. 7. v. 30. Pharisæi consilium Dei (non solum humanæ Christi naturæ) sprevisse dicuntur, videantur alia loca. 2. Reg. 17. v. 13. Jer. 29. v. 19. c. 44. v. 4. & passim. Hinc ipse Gualterus in locum Matth. 23. Pescatorem refutat inquiens: Quoties volui &c. quasi dicat: non nunc demum incipio. Olim sub Abrahamo, capi Genes. 17. sub aliis patribus sub Mose Prophetis, tandem ipse homo factus sum. Ipse

Beza

Beza in h.l. quamvis Piscat. astipulari videatur, explicando locum de externo ministerio; tamen allegatum effugium refellit dicendo: Christum jam inde à promissione Abraham facta (quando nondum homo erat Gal. 4. v. 4.) de servanda gente Iudeorum sollicitum fuisse. Marloratus explicationem Piscat. itidem infringit ita in h.l. ajens: Christus non de suo tempore loquitur: sed significat se id & anquam esset homo natus sāpē voluisse.

6. Consideretur autem Piscat. sententia paulò exactius & cuivis magna ejusdem absurditas patebit. Dicit Piscator Christum voluntate humana quādam voluisse, quā non voluit voluntate divina. Anne ergo voluntas Christi humanae contraria? Et quomodo illius voluntas aliud quid velle potuit, qui nos quotidie orare vult Matth. 6. v. 10. & Luc. 11. v. 2. ut fiat voluntas patris? Respondeat Piscator moraliter nunquam voluntatem Christi humanam divinā fuisse contrariam. At Logice contrariam interdum fuisse, quatenus Christus voluntate humana voluit, quod voluntate divina noluit. Respondeo petitur principium, & incertum per aequem incertum probatur; negamus enim Christum secundum naturam humanam quādam voluisse, quā non voluit voluntate divina; id enim afferens Christum non sine insigne impiate peccatorem constituit, contra Scripturam Job. 8. v. 46. Hebr. 4. v. 17. c. 7. v. 26. verè enim dicit Calvinus in Harm. Evang. p. 329. Nam si unica boni & æqui regula est Dei voluntas, sequitur affectus omnes qui ab eo dissident, esse vitiosos. Et ita quantum in se est totum redēptionis nostræ opus infringit: si enim vel uno tantum Christus pollutus fuisset peccato, non potuisset redēptionis nostra λύσεον κατατιθέον persolvere; (utpote ipse indigens redemptore) quod tanten Scriptura affirmat. Matth. 20. v. 28. 1. Tim. 2. v. 6.

7. Distinctio Piscat. dubium hoc non dirimit, si enim verum est Logice interdum voluntatem Christi humanam divinā fuisse contrariam, id est, explicante Piscatore, Christum voluntate humana voluisse, quod voluntate divina noluit, tum certè ex illa contradictione Logica: Homo vult, Deus non vult, indubitate infertur contrarietas moralis; proinde non sine blasphemia voluntas Christi humana Logice divinā dicitur contraria.

8. Et patet rei veritas illustratione exempli, ~~exemplum~~.  
Deus dederat mandatum de non comedendo fructu vetito. Voluntas ergo Dei seria fuit, ne homo comedderet ex arbore veritatis. Hominis à Diabolo seducti, vide. 2. Cor. 11. v. 3. voluntas huic contraria fuit. Nascitur hinc primo contrarietas Logica: Deus non vult, At homo Diabolo auscultans vult. Posita autem contradictione illa Logica, statim subsequitur contradicatio moralis sive Ethica, dum homo eligit quod Deus certa lege vetuit. Et ita in omni peccato sese res habet, sicut ex inductione rem hanc penitus expendentem, constare poterit.

9. Prosylogismi Piscat. duo sunt. Primus petit principium; conversionem enim Judæorum Christum voluntate humana voluisse; voluntate autem divina noluisse, gratis dicitur, sicut ex locis Thes. 5. allegatis videre licet. Quibus addi possunt Esa. 63. v. 10. Jer. 18. v. 11. 12. Zach. 7. v. 9. 10. 12.

10. Secundus agit de transitu poculi seu omissionis passionis Matth. 26. v. 39. ubi putat Piscator voluntatem Christi humanam respectu subeundæ passionis, divinæ Logice fuisse contrariam. Respondeo contrarietas Logica hoc loco ostendit nequit, oratio enim sive petitio Christi non est absoluta, sed ipso fatente Piscatore conditioinalis: ut si possibile sit genus humanum aliter posse expiari, quam ut ipsum oporteat mortem non simplicem sed satisfactoriam, sive iram Dei propterea gustare: pater alium satisfactionis modum decernat. Hinc ergo voluntatis Christi humanæ ac divinæ sequitur distinctio, non vero Logica contrarietas. Quod vel ipse Beza in Notis ad hunc locum agnoscit, quando ita ait: Quod additur non significat repugnantiam voluntatum, qua peccato non carnisset: sed diversitatem, qua per se vitiosa non est, ne in hominibus quidem, & insuper ex Scripturarum collatione evidenter patet, nullam hic voluntatis Christi ac Patris esse contrarietatem; testatur enim Christus ipse se propterea in mundum venisse, ut daret animam redemptionem pro multis Matth. 20. v. 28. Et Paulus humilem illam obedientiam Christi nobis imitandam proponit Pbil. 2. v. 9. Imo tantum abest Christum passionem aversatum fuisse, ut potius animo promptissimo illam nostræ causa subierit, quemadmodum auctor Epist. ad Hebr.

*Hebr. ex Psal. 40. v. 8. 9. 10. c. 10. v. 8. 9.* eleganter probat, inducendo Christum eum gigantem, qui viso hoste non trepidet aut fugiat, sed adversarium suum animo imperterritu exspectet, cumq; adoriantur. Ecce adsum, inquit, ut faciam Deus voluntatem tuam. Ad quæ verba Pareus in commentario hujus loci rectè inquit: Christus corpore humano induitus quasi servus aure perforata obedientissimus, offert se Deo Patri ad obsequium præstandum. Ita finem incarnationis sua docet hunc esse, ut voluntatem Patris faceret. Post pauca: præcipue voluntatem Dei specialem, ut impositum sibi munus Mediatoris promtè exequeretur, patiendo & moriendo pro generis humani peccatis. Item: Filius summa voluntate & obsequio munus sibi delegatum obiit nostræ salutis causa &c. Hæc Parens. Ipse Piscator sui oblitus locum *Hebr. 10.* ita exponit. Commemorat duo de sacerdotio suo: primum vocationem sui à Patre. Deinde promptum suum obsequium in vocatione illa administranda. Et post paucas lineolas: promptus & paratus sum ad fungendum illo meo sacerdotio ad quod tu me vocasti. Ipse ergò Piscator cum fateatur Christum promtum ac paratum ad subeundiā passionem fuisse, cur fingit contrarietatem Logicam?

II. Atque sic hactenus duo adversariorum nostrorum effugia consideravimus. Tertium est, quod vocationem aliam dicant esse efficacem: aliam verò inefficacem, ita Polan. Lib. 6. Syntag. cap. 32. Respondeo vocationem aliam sano & sobrio sensu esse efficacem, & aliam inefficacem nemo negat, aut negare jure potest, insistantem quippe contraria redargueret experientia. Verum illud dependere respectu vocationis inefficacis ab ipso solo Deo negamus. Falsum enim est vocationem quandam dici inefficacem; quia Deus decreverit certas creaturas rationales præterirent loquitur *Piscat. Vol. 2. disp. Loc. 12. de predestinatione.* & *Vol. 3. disp. 30.* Sicuti enim omnes ad sui imaginem Deus condidit in Adamo *Gen. 1. v. 27.* Ita quoq; omnes nomine excepto in Christo restauravit dicente Apostolo *Rom. 5. v. 18. 19.* Vocatio ergò quæpiam dicitur in efficax; quia homines seipso indignos reddunt vita æterna, oblatam gratiam respuentes *Act. 13. v. 46.* ac fidelibus Christi ministris contradicentes *Act. 18. v. 6.* imo ipsi Spiritui sancto resistentes *Act. 17. v. 51.* ac corda sua & facies obdul-

gantes

rantes *Jer. 5. v. 3.* *Zach. 7. v. 12.* Deus interim serio vult quos verbo suo  
vocat venire *Matth. 22. v. 3* de quo loco ipse Calvin. ait *Lib. 3. Inst. c.*  
*24. §. 8.* Est enim universalis vocatio, qua per externam verbi prædi-  
cationem omnes pariter ad se invitat Deus. Et vocationem illam  
etiam à parte Dei fuisse efficacem respectu voluntatis divinæ  
patet ex pñnis vocationem contemnentibus immissois *v. 7.* Unde ele-  
ganter ait *August.* Responso ad articulos falso sibi impositos, *p.*  
*823.* Qui spreverunt voluntatem Dei invitantem, voluntatem Dei  
sentient vindicantem. Ex dictis constat solam atq; unicam causam  
impellentem reprobationis non esse divinam voluntatem, ut tamen  
loquitur *Piscat.* antè allegabo loco *Thes. 6. 9.* Dicimus enim cum Au-  
gust. *ex Tom. 7. pag. 816.* Quod multi pereunt, pereuntium est me-  
ritum. Et *p. 817.* omnium quidem hominum Deus creator est, sed  
nemo ab eo ideo creatus est, ut pereat: quia alia causa est nascendi &  
alia pereundi. Ut enim nascantur homines, est beneficium: ut  
autem pereant prævaricatoris est vitium.

12. *Beza* aliud causæ sua malagma querit *Resp. ad Acta Colloq.*  
*Momp. p. 173.* dum inter voluntatem signi & beneplaciti distinguit. Et  
voluntatem signi patefactam. Beneplaciti Secretam appellat. *Zan-*  
*chini Lib. 3. de Nat. Dei cap. 4. p. 254.* eandem distinctionem his pro-  
ponit verbis: prior illa & absoluta voluntas in Scholis appellatur  
voluntas beneplaciti: quod sic simpliciter placeat Deo, fieri hoc aut  
illud proinde hæc proprie appellatur voluntas Dei. Altera dicitur  
voluntas signi, quod scilicet præcepta & promissiones, cum condicio-  
ne præceptorum servandorum signa sint, Deum sic velle: quanquam  
non semper & in omnibus simpliciter vult, quod mandat aut pro-  
mittit. Et illud Beza vocat dolum bonum, quando voluntate signi  
sive exterius patefacta, vult aliquid, quod voluntate beneplaciti non  
vult.

13. Distinctio inter voluntatem signi & beneplaciti quo sensu  
tolerari queat explicantem vide sis *Meisn.* in *Anthropol. diff. 17. Thes.*  
*ps. & seqq.* Sensu vero Zanch. Bezae & aliorum distinctio hæc repu-  
gnat multis modis fidei analogia. Deus namq; verax est, unde dici-  
tur *alii. I. Thes. 1. v. 9.* cum igitur voluntate signi se velle omni-  
um miseriari perte & verè profiteatur *Rom. 11. v. 32.* Manus suas ex-  
tendat

CONIUS

tendat ad populum contra dicentes Rom. 16. v. 21. & vocet venire re-  
cusantes Prov. 1. v. 24. falsum est eundem Deum voluntate benefac-  
tici interveniente lapsu Adami, tot gentes una cum liberis eorum in-  
fantibus, absq; remedio horribili aliquo decreto, æternæ mortis in-  
voluisse, quod tamen Calv. existimat. Lib. 3. Instit. c. 23. §. 7. imo velle  
(eodem interveniente decreto) horribili, impios perire §. 8. quia conditus  
sit homo, in eam cui subjacet calamitatem §. 9. Et Deum repro-  
bos eo destinasse, ut nunquam gratia qua serventur, vocationis nimi-  
rum, fidei & justificationis parvipes hant ut Zanch. loquitur Lib. 8.  
de Nat. Dei hap. 2. p. 554.

14. Et consideret quis in vera pietate distinctionis sensu adversa-  
torum intellecta summam absurditatem, imo impietatem: annon  
enim hoc pacto Deus esset bilinguis, sibiq; contraria, qui revelato  
verbo paternam suam voluntatem signo verbi divini exponeret. In-  
terim tamen voluntate occulta ipso tandem exiū rem patefaciente,  
ut loquitur Bezæ, nolit id præstare quod promisit. Quid de homine  
diceremus (licet hoc hodie multis valde sit familiare) si juramento  
affirmaret, aliisq; signis se proximo suo bene cupere indicaret; inter-  
im tamen recipia extrellum illi minaretur exitium. Et quamvis  
os ne star promat, mens tamen aconita vomat. Laus in dictis, fraus  
in factis. Annon ipse homo esset Joabo & Judæ proditori similimus,  
ore exosculantibus, sed manu interficientibus 2. Sam. 20. v. 10. Matth.  
26. v. 49. Quid de Deo nostro benedicto in secula Ram. 9. v. 5. dice-  
mus? anne illi hoc attribuemus, quod ego dum cogito solum, meritò  
exhorresco!

15. Argumenta Bezæ distinctionem hanc confirmantia hæc sunt.  
1. producit locum Genes. 22. v. 2. & 12. verba Bezæ ita habent: Deus  
voluntate signi, sive exterius patefacta, non tantum vult, sed etiam  
jubet Isäicum à Patre mactari: voluntate vero benefacit, ipsi Abra-  
hamo ad tempus ignota, voluit duntaxat Abrahami fidem illa tam in-  
signi obedientia explorari. Resp. exemplum allegatum materiæ  
quæde controversia est, non quadrat. 1. differt objecto, quod est in  
hoc loco corporale; externa scilicet obedientia de mactando filio.  
In locis controversis autem spirituale; agitur scil. de salute hominum  
æterna, & queritur anne Deus illam serio promotam cupiat, sicuti

B.

reve.

revelato verbo per ministros indicata. Cor. 3. v. 20. 2. Magna differentia est in fine & effectu utriusq; rei. In allegato loco sub voluntate signi paternus occultatur affectus, non autem hostile latitat odium, seu sanguinarium & exitiosum beneplacitum. 3. Exemplum allegatum singularem aliquam respicit personam cuius insignem obedientiam Jehova mundo manifestare, eandemq; certa ratione imitandam proponere voluit. In locis controversis cum maxima mundi parte agitur, & num Deus illorum salutem serio voluntate signi sive revelata expetat inquiritur. 4. Ratione durationis in allegato loco magna cernitur diversitas. Statim enim voluntas Dei seria, perspecta vel potius manifestata Abrahami obedientia, fuit patefacta v. 12 proinde 5. Distinguendum est inter mandatum Dei serium ac probatorium. Mandatum de immolando filio unico Isaaco, non fuit serium, id est, Deus non voluit actualem filii Abrahami legitimi immolationem, sed duntaxat Abrahami, omnium credentium Patris obedientiam ac praezellens robur fidei mundo patefacere voluit, nobisq; ad Deo obediendum calcar addere Rom. 4. v. 13. Unde Epist. ad Hebr. 6. 11. v. 17. Deum Abrahamum tentasse (tentatione vid. probationis Job. 6. v. 6.) dicitur. Et radix ΤΟΥ in pihel tentavit periculum fecit, significat Deni. 6. v. 16. c. 13. v. 4. Isa. 7. v. 12. & passim. Unde 70. Interpretes Ο Θεός επέγραψε τὸν Ἀβραάμ textum redunt. Unde ipse Beza in Notis ad. N. T. Deum explorasse Abrahamum affirmat.

16. Piscator in Notis ad amicam collationem Vorstii sect. 100. Q. 101. respondet, tam fuisse hic mandatum quam temptationem, quia textus utrumq; per se, & absq; ulla comparatione testetur. Resp. Rivetus in h. l. expresse dicit & verè quidem Deum non intendisse executionem, sed tantum voluntatis Abrahami requisivisse propensionem & dispositionem ultimam ad actum. Et Piscat. ipse in Not. ad h. l. ait. Deum tentasse Abrahamum, hoc est explorasse fidem illius. Non igitur à parte Dei, comprobante id eventu, v. 12. mandatum respectu actualis immolationis serium fuit, quamvis Abrahamus id non aliter intellexerit. Quia recte dicente pareo in cap. ii. ad Hebr. mandatum fuit προετοιμασία exploratorium. Unde Epist. ad Hebr. Abrahami intentionem, promptam voluntatem & obedientiam considerans

siderans, Abrahamum filium Isaacum obtulisse (in animo suo & quantum in se) affirmat. Anne autem pars est ratio Dei, in negotio nostrae salutis nobiscum agentis, quando patefacto verbo, id est voluntate signi, se non delectari interitu nostro ait, interim voluntate beneplaciti, vel ut Beza ait occulta, exitu id patefaciente, nolit omnium hominum salutem?

17. 2. Ex loco *Exod. 32. v. 9.* Beza suam distinctionem probat Ex-  
ardecet furor meus adversus hunc populum & absuumam eum. Vis ar-  
gumenti à Beza formati hæc est. Deus voluntate signi minatur popu-  
lo πανολεθίας; quam tamen voluntate beneplaciti non intulit.  
Resp. Deus populo fædus suum irritanti, ac à verâ via per Mosen o-  
stensa recedenti interitum comminatur. Illa verò comminatio ex-  
ceptionem precum ac poenitentia tacitè includit. Sicuti solet Scrip-  
ptura in promissionibus, ut & comminationibus conditionem pæni-  
tentia & impænitentia sâpe subaudire ut *h. l. & Jon. 3. v. 4.* & passim.  
Quamvis & aliis in locis conditio illa expreſſe ponatur vide *Jer. 18. v.*  
*8. Lev. 26. v. 41. 42. 43. Ezech. 18. v. 21. 2. Par. 7. v. 14. Apoc 2. v. 5. 22.*  
Nisi ergò Moses precibus suis iram Dei mitigasset *v. 9. 12. 13. 14.* & piis  
in Ecclesia adhuc residui, justissimo Zelo contra Idololatras exarsis-  
sent *v. 26. 27. 28. 29.* tum quod Deus comminatus fuit. *v. 9.* exe-  
cutus sine dubio fuisset, nihil ergò præsidij Beza allegato loco habet,  
cum utrobiq; magna sit diversitas.

18. 3. Beza ait: Deus jubet Esaiam annuntiare mortem Ezechiæ  
*2. Reg. 20. v. 1. Esa. 38. v. 1.* Respon. nulla hic discrepancy inter vo-  
luntatem signi ac beneplaciti, sed amica harmonia. Si dixeris: cur er-  
gò, non moritur Ezechias? Respon: quia precibus suis ex vera fide  
profectis conf. *Matth. 21. v. 22.* vita impetravit prolongationem.  
Deus promisit pietati præmium *1. Tim. 4. v. 8.* ac precum exauditionem  
*Esa. 65. v. 24. Psal. 145. v. 18.* Nam multum valet precatio justi  
*Zac. 5. v. 16.* Cum itaq; Ezechias vita sua petierisset prorogationem.  
Illam utiq; à Deo obtinuit; hanc enim habemus περρηστιαν quod si  
quid petierimus secundum voluntatem ejus audit nos, inquit Johannes  
*1. Epist. c. 5. v. 14.* Quid verò hoc ad distinctionem signi & bene-  
placiti sensu Adversariorum nostrorum intellectam, in negotio no-  
stræ salutis!

19. Beza ita colligit ex Jon. 3. v. 4. denuntiat Ninivitis interne-  
tionem in diem quadragesimum. Nihil tamen exequitur Deus.  
Num quod aliter sentiret, quam loqueretur? vel quod sententiam  
postea mutarit? Quod enim illos penituit, quo medio Deus non im-  
plicavit, quod denuntiarat, ipsis datum fuit per gratiam, ab eo ipso,  
qui hac illis denuntiabat: neq; hoc illis dedit, si exequi denuntia-  
tionem voluisse: quod si voluisse, utiq; immutabiliter fecisset...  
Quid igitur: nempe hominum respectu duplex hic fuit voluntas &  
quidem una, nempe signi seu patefacta alteri arcanae repugnans, quae  
non nisi ipso exitio appareret. Hactenus Beza.

20. Respondeo in repetendo distinctionem Thes. 17. proposi-  
tam, comminationes scil. Dei hypothecè esse intelligendas. Ninivi-  
tis igitur prædictatur subversio, sed tacita subauditur conditio poen-  
tentiae, quæ Jer. 18. v. 7. 8. expresse ponitur. Quod si Ninivitæ in pec-  
catis ac malitia in conspectum Dei ascendentibus Jon. 1. v. 2. perre-  
xissent, utiq; subversa eorum civitas juxta Prophetæ vaticinium fuil-  
set. Quia vero ad prædicationem Jonæ resipuerunt Matth. 12. v. 41.  
& variis signis & indiciis veram & non simulatam poenitentiam de-  
monstrarunt Jon. 3. v. 6. 7. 8. ac à via sua pessima conversi sunt Jon. 3.  
v. 20. penituit Jehovam ejus mali, quod se Ninivitis immisurum per  
Prophetam dixerat. Quod ergo Deus non sit executus quod com-  
minatus fuit, ejus ratio non est querenda in discrepancia voluntatis  
signi & beneplaciti, sed in vera Ninivitarum conversione. Ninive  
peccatis immersa erat subvertenda, tolle subversionis causam, pecca-  
ta illa magna, majora, maxima, & non amplius cur Ninive tum tem-  
poris non sit subversa ambiges.

21. Excipit Beza datum Ninivitis per gratiam quod sint conversi.  
Respondeo concedimus conversionis gratiam Ninivitis esse Deo per  
Jonæ prædicationem concessam, quam tamen cum maxima mundi  
parte rejicere potuissent. Quid vero inde inferitur? ex antea enim  
dictis satis superq; conicitur, quæ ratione Deus Ninivitarum eversio-  
nen prædixerit, & quæ causa, non subsecuta ~~prædicta~~, fuerit.  
Sed pergit Beza excipere hoc modo: Si exequi denuntiationem vo-  
luisse, utiq; immutabiliter fecisset. Respon. procedit argumentatio  
ex hoc fundamento, quasi omne illud quod Deus vult, statim inadiffe-  
renter

reenter fiat. Proinde distinctio hic attendenda est, ut discernamus illa  
qua Deus absolute, sineulla interveniente conditione vult, & quæ ac-  
cedente certa conditione implere decrevit. De voluntate absoluta  
verum est quod dicitur *Psal. 115. v. 3.* Quæcunq; voluit fecit. Hoc  
modo Deus decrevit in novissimo Dñe omnes homines resurgere  
*Act. 24. v. 17.* & coram tribunali Christi sistere *Rom. 14. v. 10.* id suo  
tempore implebit, non habito respectu fidei hominum aut incredu-  
litatis eorundem. Alia autem ratio voluntatis ordinata, ibi multa  
qua Deus fieri serio vult, non implentur. Sic Deus voluit ne Adam  
ac Eva commederent ex fructu vetito *Gen. 2. v. 17.* quod tamen ma-  
ximo totius humani generis incommodo factum est *c. 3. v. 6. 7.* Deus  
homines vocat. Ergo eos venire vult, & tamen homines venire re-  
cusant ac consilium Dei despiciunt *Prov. 1. v. 24.* & vocanti Deo non  
respondent *Esa. 65. v. 12.* Invitat ad nuptias spirituales venire nolen-  
tes *Matth. 22. v. 2.* facit Ceenam magnam & vocat multos, sed invi-  
tati se se excusant *Lyc. 14. v. 16. 18.* & seqq. vult Phariseos baptizari a  
Johanne, sed illi contemto Dei consilio, contra voluntatem Dei non  
baptizantur. Ex his & aliis Scripturæ sacræ exemplis liquido con-  
stat, non semper illud fieri quod Deus certa cum conditione impleri  
vult. Falsum itaq; est, quod Beza dicit: Deum quod attinet, nun-  
quam aliud voluit, nisi quod etiam fecit. Voluit itaq; Deus, ut ad lo-  
cum nostrum revertamur, denuntiationem à Propheta institutam  
exequi, sed in Ninivitis peccantibus, non vero poenitentiam seriam  
agentibus.

22. 5. Argumentatur Beza hoc modo: simpliciter cum Abraha-  
mo & ejus sobole pactus, aperta & communi voluntate signi. Ismael  
beneplaciti voluntate repudiavit. Respon. contradicit Beza a-  
pertæ Scripturæ; pactum enim singulariter respicit non Ismaelem ex  
ancilla, sed Isaacum ex Sara natum, interprete ipso Jehova *Gen. 17.*  
*v. 21.* & Paulo *Rom. 9. v. 7.* qui propterea dicitur filius promissionis  
*Rom. 9. v. 8.* & unigenitus *Hebr. 11. v. 17.*

23. Tandem 6. producit Beza exemplum Esavi, de quo ita ait: Sic  
Esavum primogenitura quoq; nascendi donatum & ipsius sobolem  
benedictione faderis privavit. Respondeo 1. Volenti non fit inju-  
ria. Quod ergo attinet jus primogenituræ, quia illud volens Esá

vus vendidit. *Genes. 25. v. 31. 32. 34.* atq; ita scipsum illo bono privavit, privatio illa primogenitura, Deo ascribi nequit. Quod ex Epist. ad Hebr. c. 12. v. 16. 17. palam est ubi expresse dicitur, Esavum Unico editio ius primogeniti permutasse ac vendidisse. Unde *Pareus* recte incusat Esavum in cap. 25. Gen. Quod graviter peccarit partim in temperantia gulae, yecordia, vilitate animi, ingratitudine, impietate, impenitentia. Et subiungit: Est ergo Esau imago hominum carnalium, qui tantum quæ ventris sunt curant, cœlestia & divina suscipiunt, habent, quorum ingens semper fuit & nunc est numerus, qui dicunt, quid mihi primogenitura? quid juvat pium esse: probitas laudatur & alget, edamus, bibamus, cras moriemur. Hactenus Pareus. 2. Quousq; Esau benedictione foederis privatus sit, illud volente Deo ex professo futura Disputatione exponemus. Proinde hic finientes, Patri misericordiarum devotè supplicamus, ut nos omni benedictione spirituali beat & ex hoc miseriariarum valle liberatos eternum regnet.

**COROL-**

# COROLLARIA Veritatis ergò disputationi adjecta.

1.

**L**EDEM Mosis esse fundamentum Prophetarum, Christi  
& Apostolorum docet Theologus, non, qua talis, Phi-  
logus.

2.

Allojosis sive enallage, seu permutatio sive discrepan-  
tia generis in Scriptura S. Vet. & Nov. T. ob certas & evi-  
dentes rationes fundamentum habet. Nos ergò cum pra-  
stantissimis Philologis, ac cordatis Theologis, dictam allojosin  
non proficta opinione, multo minus pro re mortua habe-  
mus; sed Spir. S. hoc loquendi genere uentem, & nobiscum in  
Scripturæ aliorum loquentem agnoscimus, nec causas illas  
sufficientes neganda aliorum videmus.

3.

Qui in explicanda Scriptura rusticos imitantur, imo  
imitandos esse publicè inculcant, & discipulis suis tanquam  
regulam commendant, illi parum imperite, partim judicet  
atq; sic minus orthodoxè Scripturam exponere quandoq; ne-  
cessum habent. Quamvis autem sensus literalis studiose  
& magna diligentia sit retinendus, modo illum antecedentia  
& consequentia, contextus, loca parallela, & fidei analogia  
admittat; videndum tamen accurate, ne rusticis similes ni-  
mis curiosè in apicibus syllabarum & verborum hucramus,  
sed interpretationis Scriptura regulas, rusticis ignotas, accu-  
rato vero Scriptura interpreti perspectas, diligentius exca-  
niamus.

g. Manus

4

Manus, Brachium, oculos, aures, digitum, Deo in Sacris literis sepè tributa legimus; illa tamen non propriè, sed per oxygénatōe Scripturā familiarem, cum orthodoxis interpretibus intelligimus; fundamentum enim Phraseologie (cum à priori Deum cognoscere non valeamus) à nobis desumitur; quamvis res ipsa Phrasē indicata eminentissimo nobisq; in comprehensibili modo; adeoq; primario & principaliter in ipso Deo fundetur. Et licet explicatio quadam (Deo hac propriè tribui) tolerabilis dari posse alicui videatur; cendum tamen à Phrasē utpote qua non satis iustificatōe iuxtaq; Lev. 18. Proinde sedulo monendi sunt studijs, ne hanc imitentur loquendi formulam, utpote in Ecclesiā novam & inauditam, imò apud ingruditos sine dubio scandalosam.

5

Qui textum Levit. Cap. 18. v. 11. ita reddunt, ut nupias comprivignorum novo inter Parentes partu præsente, contrahi non posse vi legis ibidem late, putent, illi multis involvuntur difficultatibus, ex quibus quomodo se extricare velint, audire hactenus non licuit. Ut verò methodice questionem hanc proponamus, initium hujus sci non est faciendum à versione; utpote suspecta & rōe evançevoy conuenienter. Si quis ergo serio hac de re disputare, & in veritatem inquirere satagit, necessum habet absurdā ex illa versione præmanantia considerare, quorum primum hoc est: illos qui nec sanguinis propinquitate, nec primi generis affinitate conjuncti sunt, quos inter etiam nullus linea ascendens & descendens datur respectus, illos inquam, jure naturali (Lev. 18. enim non agitur de prohibitione ceremoniali aut forensi, ad solos iudeos spectante), matrimonium contrahere, prohiberi. Quæ assertio paradoxum continet cruditorum  
annis,

auribus ingratum. Cum enim prohibitionis Mosaica funda-  
mentum sit, cum consanguinitas, cum propriè dicta non latè  
vagans affinitas, ac linea ascendens & descendens respo-  
ndet & consideratio; tolle illas prohibitionis causas, & suste-  
nisti ipsam in Levitica lege expressam prohibitionem. De-  
inde si nuptia allegata sunt illicite. Ergo aut sunt nefarie  
aut incestuose; de istis enim duobus prohibitionis generibus  
lex Levitica agit tantum, ut apud eruditos in proposito est.  
Nenrum autem reperire licet, in comprivignorum nuptiis, ut  
intelligenti Φαρερῷ constat. Tertio. Nondum actu  
presente novo partu comprivignos copulari posse largiuntur  
coneradicentes. Ponamus ergo jam ante nuptias inter cons-  
privignos ritè celebratas, quas postmodum, divina accedente  
benedictione, novus sequatur partus. Anne illius presentia  
matrimonium legitimè contractum dissolvet? Excipitur de  
illo causa non esse sermonem, bene est; sequitur tamen immo-  
tè ex illa sententia. Proinde boni disputatoris est, non tan-  
tum Thesin considerare, sed etiam consequentias, inde deduc-  
tas expendere. Et queso detur mihi diversitas inter usrum  
que casum. Si namq; novi partus presentia impedit, prohi-  
bente iure naturali (de illo enī solo quaestio est) nuptias, cur  
non partus subsequens, illicitum redderet conjugium rite ante  
contractum: posita enim causa in actu, nec impedita, ne-  
cessario sequitur effectus. Positio igitur sive presentia sobolis  
sive lege naturae impedit matrimonium contrahendum, cur  
contractum non redderet illicitum? Regeri posse video: multa  
impedire nuptias contrahendas, quæ non dirimunt contra-  
etas. Resp. Illud suo loco in aliis casibus verissimum est.  
At in prohibitione juris naturalis non procedit, ut per se lis-  
quet. Quartò jura imperatoria, ut & benè constituta con-  
sistoria Invariata Angustana Confessioni addicta, nuptias has,

ueope jure naturali (deficiente sanguinis propinquitate, & primi generis affinitate, ut & linea ascendens & descendens respectu) non prohibitas, conceduntur. Quancum verà crimen legibus imperatoriis, ac bene constitutis consistoriis impingeretur, nuptias lege naturali ac jure diuino prohibitas concedentibus! Lex divina magnitudinem & gravitatem peccati contra gradus prohibitos Lev. 18. commissi exponens, ait: terram propterea fuisse pollutam, adeo ut habitatores suos evomuerit. Jureconsulti ac consistoria nuptias contra gradus Lev. 18. scienter contractas, non mereri nomen matrimonij affirmant, & contra bidentem tales nuptias, infamem pronuntiant, eoque ipso excommunicandum & relegandum censem, ipsiusq; bona confiscanda perhibent. Quomodo ergo nuptias contra gradus hos contractas approbare salvâ conscientiâ possent. Faciens & consentiens eadem pœna dignissime, dici solet ex Apostolo Rom. 1. v. 32. obtenditur versio Lev. 18. v. 11. sed initio dictum est, illam esse controversam & principium petere. Boni ergo disputatoris leges hic observanda sunt; ne scil. illud, quod nō ἐγώ μενοντι, loco probationis & fundamenti ponatur. Versionem enim quod attinet notissimum est mulcos lingua Hebraea, vel ipsa invidia teste, peritissimos, textum ita reddere, consideratis dubio procul allegatis difficultatibus, ut sententia nostra non ob sit, quod inductione probare, urgente necessitate possemus. Concludimus ergo nuptias conprivignorum, novo licet partu actu intercedente jure. Lev. 18. v. 11. id est naturali non esse prohibitas, quod demonstrandum erat.

SOLI DEO GLORIA.

¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶  
**P**osset, si vellet, Divina Potentia salvos  
Reddere damnatos, salvos damnare valeret  
**C**ontra. Nonnullos complecti posset amore,  
Nonnullos odisse, suis si viribus uti      (tim,  
Vellet, Sed non vult. Nam non valet omnia sal-  
De se quæ fieri possunt: sed justus & æquus  
Cum sit, & Clemens, ex æquo diligit omnes  
Odit peccantes, adamat pietate Fideq;  
Conspicuos; beat hos, illos adjudicat Orco.

Hoc, Ellisiade! Rosei præclara Lycae  
Portio! sub clypeo satagis defendere clari  
**C**OTHMANNI, simul ac docte disquirere docto  
Dogmate de docti, doctis dubioq; novoq;.

Macte animo Juvenis! Conatu macte de-  
Sicut, si silices collidas, elicis ignem;      (cente!  
Sic, si contuleris pugnantia dogmata, verum!

*Amica manu adproperabat*

**G**EORGIVS Krugt Phil.  
& Medic. Doctor.

• 1503 • 1503 •

**D**icitur Ollerus Vellerus Divinus Potentissimus Iovis  
Repperatur quatuordecim annos dicitur auctoritate auctoritate  
Coutur Nostro dicitur coniunctio: postea auctoritate  
Nonnullae quoque illae postea auctoritate (tunc)  
Auctoritate quoque auctoritate auctoritate  
Dicitur dicitur postea: postea auctoritate  
Quoniam etiam clavis exinde auctoritate  
Oportere certe auctoritate auctoritate  
Concupiscentia: postea auctoritate auctoritate  
Hoc dicitur postea auctoritate  
Postea postea postea postea postea postea  
Castrum etiam etiam etiam etiam etiam etiam  
Dicitur dicitur dicitur dicitur dicitur dicitur

**M**agis a simo luna etiam a cibis a cibis  
Sicut etiam illicet colligatur etiam iugum? (ceteri)  
Sicut etiam oufatuemus etiam a cibis a cibis  
Dicitur dicitur dicitur dicitur dicitur dicitur

**N**atura natura natura natura natura

**R**egularis regularis regularis regularis regularis

**et cetera**





auribus ingratum. Cum enim prohibitionis Mosaicum sit, cum consanguinitas, cum propriè dicta vagans affinitas, ac linea ascendens & descendens eius & consideratio; tolle illas prohibitionis causas, hæc ipsam in Levitica lege expressam prohibitionem inde si nuptia allegata sunt illicita. Ergo aut sum aut incestuosa; de istis enim duobus prohibitionis g̃lex Levitica agit tantum, ut apud eruditos in propria Neutrum autem reperire licet, in conprivignorum intelligentiō ΦαλμοΦαρεψ̃ constat. Tertio. Nem̃ pr̃seente novo partu comprivignos copulari posse lass coneradicentes. Ponamus ergo jam antē nuptias in privignos ritè celebratas, quas postmodum, divina a benedictione, novus sequatur partus. Anne illius per matrimonium legitimè contractum dissolveret? Ex illo causa non esse sermonem, bene est; sequitur tamen ex illa sententia. Proinde boni disputatoris est, tum Thesin considerare, sed etiam consequentias, in duas expendere. Et quaso decur mihi diversitas inter eum casum. Si namq; novi partus praesentia impedit jure naturali (de illo enim solo questio est) nuptias non partus subsequens, illicitum redderet conjugium contra contractum: posita enim causa in actu, nec imperceptio sequitur effectus. Positio igitur sive praesentia ex lege naturae impedit matrimonium contrahendum, contractum non redderet illicitum? Regeri posse vide impedire nuptias contrahendas, que non dirimuntur. Etas. Resp. Illud suo loco in aliis casibus verisimiliter in prohibitione juris naturalis non procedit, ut queret. Quartò jura imperatoria, ut & bene constitutoria invariata Angustana Confessioni addicta, nuptias

C




Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. 032

the scale towards document